

dentes afferri solent diluendo, partim in contrarium argumentando: Præcipuum vero quod pro sua urget sententia est illud, quod tertio loco adducit in principio quæstionis: *Non est, inquit, nobis evidenter notum, DEVM esse Vnum, Ergò neque DEVM esse: perinde enim est demonstrare DEVM esse atque Vnum esse, quoniam nomine DEI nihil aliud intelligimus, quam unum quoddam ens infinitum supra omnia entia.*

## VI.

Ulterius progreditur, ut omnes numeros audaciæ compleat Cardinalis, posito, ait, demonstrari vel admitti, dari unum quoddam ens increatum, quod sit causa prima efficiens omnium, quæ facta sunt, nihilominus non inferri evidenter illud esse DEVM, quia inde non sequatur, esse primam causam omnium quæ sunt, posset enim aliquis dicere, dari plura entia non facta, & inter ea dari aliquod ens superius, quod licet non sit efficiens, sit tamen finis alterius entis increati, & eâdem ratione fingi possent plura entia increata nullum ordinem, causæ inter se habentia, sicut sunt duo Angeli, quos aliqui posuerunt duo entia per se necessaria.

## VII.

Gabriel Vasquez post producta tum Theologorum tum Scripturæ testimonia imprimis locum Rom. 1. v. 20. Sap. 13. v. 1. &c. tandem hanc subjicit *Ἰτιξεῖται*: verum hæc omnia meo iudicio non probant propositum, Scriptura enim his locis & similibus solum contendit, semper fuisse sufficiens DEI testimonium ex mundi fabricâ pulchritudine, & aliis effectibus, ut ab omnibus cognosceretur; utrum autem notitiâ evidenti an solum probabilissima nihil curat. Quod vero utatur verbo, *Conspiciuntur*, & verbo *Videri*, parum interest, hæc enim communi quadam & magis usitata significatione quamlibet intellectus notitiam cum assensu determinato significant: in qua communi significatione hæc & similia, Scriptura passim usurpat.

## VIII.

Pergit Bellomontanus Theologus, præterea, inquit, quod dicit, Paulus, & Sapiens insinuat, Gentes, quæ DEVM non cognoverunt excusari non posse, non probat, potuisse omnes demonstrationem habere, ad hoc enim ut non possent excusari satis est, si probabilissimam quandam & prudentem notitiam habere potuissent. Sic enim hanc habentes notitiam

DEVM